



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal L. Deus deorum Dominus loquutus est, &c. Carm. gen. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Accesserit, brutis homo bestijs
 Nil interest, quos uita facit pares,
 Expectat æquè inglorius exitus.

PSAL. L. Deus deorum Dominus loquutus est, &c. Carm. gen. 6.

Q Vifrenat æquis legibus arbiter
 Superba regum colla minacium,
 Vocabit in ius orbem ab ortu
 Solis ad hesperium cubile.
 Vultu uerendo tum sacer ardua
 Pulchræ Sionis de specula loquens,
 Ad gentis humanæ coactum
 Concilium Deus ora soluet.
 Non facta semper non finet impia
 Impunè grassari. ueniet Deus:
 Flammæ uorax illum antecedit
 Vis rapidis agitata uentis.
 Testes uocabit cum populo suo
 Acturus, ignes, lumine conscio
 Qui cuncta despectant ab alto &
 Omniparæ sola uasta terræ.
 Adeste primùm gens mihi propria,
 Gens sancta, (dicet) cui super hostijs
 Legem dedi ritè offerendis.
 Perpetuum pepigiq; fœdus.
 Hic æquitate iudicis igneus
 Miratus æther, iustitiam Dei
 Annuntiabit. nam sedebit
 (Ne dubita) Deus ipse iudex.
 Audi Abrahami progenies boni,
 Peculia-

Peculiaris gens mihi: te uoco,
 Testem benignitatis in te
 Perpetuæ, & solidi fauoris.
 Non arguam te quòd mihi uictimæ
 Cruore raro altaria sparseris,
 Aut parcus armenti cremâris
 Rara sacris holocausta flammis?
 Non taurum egens te de stabulis peto,
 Hircum ué caulis. omne pecus meum est
 Quod montium anfractus pererrat:
 Quod nemorum tegitur latebris.
 Nec me uolucris rupis in edito
 Viquam recessu nidificans latet
 Non ulla picturato amictu
 Ruris auis genialis hospes.
 Quòd si esurirem, scilicet ut petam
 A te necesse est, arbiter ætheris
 Terræ, freti q̄, & quicquid ingens
 Orbis habet gremio triformi.
 Taurine uescor carnibus? aut bibo
 Hirci cruorem? pectore candido
 Grates age, & quouis litabis
 Ritè Deo sine cæde uoto?
 Tum deprehensus rebus in asperis
 Securus implora, auxilium feram:
 Grates ut accepta salute
 Lætus agas, Dominum q̄ laudes.
 At impium sic alloquitur Deus,
 Qua fronte Leges tu recitas meas,
 Et ore sanctum impurus audes
 Sacrilego memorare fœdus?

Tu

Tu legum habenis impatiens regi,
 Et institutis, moribus & bonis
 Iuratus hostis, uoce laudas,
 Tecum animo mea uerba rides.
 Cum fure furti consilium cois,
 Mœchis adulter te socium applicas:
 Ad probra proiectus, dolosa
 Perniciem meditare lingua
 Cum fratre iuncti uincula sanguinis
 Oris procacis non rabiem premunt:
 Infamia germanum eodem
 Dedecoras utero creatum.
 Et arbitraris me similem tui,
 Quòd perpetrata hæc dissimulauerim?
 Ne crede: tecum ex postulabo,
 Ante oculos tua facta ponam.
 Considerate hæc uos, quibus excidit
 De mente cæca mentio numinis:
 Ne, quumprehendam, nemo sit qui
 De manibus mihi prensa tollat.
 Si uictimam uis magnificam mihi
 Mactare, laudes canta, age gratias.
 Hæc itur ad certam salutem,
 Hæc superos uia pandit axes.

PSAL. LI. *Miserere mei Deus, secundum*
mag. etc. Carm. gen. 5.

O Salus rerum, lacrymis precantum
 Mollibus flecti facilis, rogantem
 Lenis exaudi, scelerumq; tetras
 Ablue sordes.

G